



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Vita misera, & ærumnosa. Fig. Symb. Testim. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Qui dudum infans, subito puer; qui puer, repente juvenis; & usque ad senectutem per spatia mutatur incerta; & antè se nemem intelligit, quàm juvenem non esse se miratur. S. Hieron. in *l. c.* 40. 2.

Canos videmus in pueris; capilli deficiunt, antequam crescant: nec ætas in senectute definit; sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat. S. Cyprianus *l. ad Demetrianum*.

§. III.

*Vita misera, & ærumnosa.**Figura, Symbola.*

Apparuit clibanus fumans. Gen. 15. 17. Fornacis similitudine exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi hujus, intus quasi fornax aestuat diversis cupiditatibus; foris velut quòdam fumò obtexitur; nè videat veritatis faciem. S. Ambros. *l. 2. de Abrah. c. 9. in fine.*

Jam hyems transijt. Cant. 2. 11. Hyems est tempus vitæ mortalis; quod, æternæ comparata, rectè hyems imbrifera, & procellosa, nuncupatur; ob ingentes ærumnarum imbres, quibus tam reprobi, quàm Electi, comprimuntur. De Ponte hic Exh. 17. §. 3.

Verè salix est vita: nam arbor sterilis salix est: à nobis autem dulcis vitæ fructus defluxit. S. Gregor. Nyss. or. in funere magni Meletij Ep. Antioch.

Annon hæc vita nostra, & res humanæ, mare quoddam sunt? Nimirum in ea multum quoque est saluginis, & instabilitatis. Venti sunt tentationes, quæ nobis accidunt, & alij casus inopinati. S. Greg. Naz. or. 13.

*Testimonia.**Ex Novo, Patribus, & alijs.*

Misericordiã motus super eam. Luc. 7. 13. Tam miserum est, nasci; tanta felicitas, mori: ut nato de vita compati, denato autem de morte gratulari, possis. Matrem viduam superstitem, ac mœstam, non defunctum adolescentem, Christus miseratus fertur ab Evangelista. Dicebat Seneca: strata-gema est naturæ, homines sinè ratione nasci. Nam si ratione inter vitæ primordia polleant, quæ possent calamitates futuras prævidere; quis lacrymabilem vitam diligeret? Did. Niss. *l. 5. D. 4. Quadr. §. 4.*

Et lacrymatus est Jesus. Joan. 11. 35. Vestræ non debent à Salvatoris lacrymis disferere, si estis Salvatoris amici: qui non pro morte Lazari, sed pro ipsius revocatione ad miserias temporales, planxisset fertur. Bleffensis. Lacrymatus est, non tam quòd mortuus est; quàm quòd revocari illum oportebat ad tolerandas rursus hujus vitæ miserias. Rupertus hic.

Ista vita in corpore, umbra est vitæ, atque imago; non veritas. S. Ambros. in *Pl. 118. l. 3.*

Nescio, unde venerim huc? in istam, dico, mortalem vitam: mortalem, dicam, vitam? an mortem vitalem? nescio. S. August. Conf. *l. 1. c. 6.*

In doloribus vivere, non est vivere. Idem *l. 112. de divers.*

Nox quidem vita hæc dicitur, cum æternæ comparatur: nam, qui illam vitam contemplari dignè potuerit; illius comparatione, quidquid hic lucidum cernitur, noctis obscuritas esse judicatur. S. Gregor. *l. 5. Exposit. in 1. Reg. 14.*

Haud scio, an hæc vita mors potiùs dicenda sit? ac mors contra vitæ nomine appellanda? S. Greg. Naz. Carm. de nat. humana.

Nunc, quemadmodum in utero puellus, sic in Mundo vivimus, multis interclusi angustijs; venturique sæculi nec fulgorem, neque claritatem valentes contueri &c. S. Chrysof. Parænci ad Theodor. lapsium.

Nunc quidem in vita non fumus, sed in morte. Idcirco optabat Paulus dicens: *quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. S. Basilii in *Pl. 33.*

Hæc, quæ dicitur vita, non est vita: ubi nec requies à labore, nec securitas est à timore; ubi fraudes, ubi calumnia. S. Fulgentius *l. de Laz. resuscitato.*

Terret me vita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi, aut peccatum, aut sterilitas, ferè tota vita mea: & si quid fructus in ea videtur; sic est, aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquòd modò corruptum; ut possit, aut non placere, aut displicere, Deo. S. Anselmus *l. de miseria hominis.*

B. Theodorus Studita in varijs sermonibus vocat vitam nostram Crucigeram.

Tota hæc vita facta est sibi Parasceve Crucis: illic autem festivus, & splendidus, æternam celebrat gloriam Resurrectionis. B. Petrus Dam. *l. 1. ep. 19.*

§. IV.

*Vita mixta prosperis, & adversis.**Figura, Symbola.**Ex Veteri.*

Fecit ei tunicam polymitam. Gen. 37. 3. Sic Deus juveni causà dilectionis, præ reliquis tunicam facit, & induit Religionis. Polymita dicitur, quæ ex filis diversi coloris variegata. S. Chrysof. hom. 8. in Matth. Deus mœstis læta miscet sanctis; quos nec tribulationes, neque jucunditates, sinit habere perpetuas: sed tum de adversis, tum de prosperis, justorum ritum, quasi admirabili varietate contextit. Universaliter nulla tela texi potest; nisi filis rectè, & transversim, in crucis formam dispositis. Junghen ex Nupt. agni *p. 1. Eph. 3.*

Commutus manus. Gen. 48. 14. Alij legunt: *intelligere fecit manus.* Nempè sciens, & prudens, Jacob ità decussavit manus; ut minorem primogenito præferret. Sic sæpe Patris,